

§. II. De sodomia.

433. — Horrendum sodomiae crimen est concubitus cum persona eiusdem sexus vel diversi, sed in vase indebito.

Hinc duplex sodomia distinguitur: 1^o *perfecta*, quae est concubitus cum persona eiusdem sexus; 2^o *imperfecta*, quae est concubitus cum persona diversi sexus extra vas naturale, vel cum affectu ad vas in-naturale.

Sodomia est crimen multo gravius pollutione simplici. Constat ex horrore, quem apud omnes excitat, tum etiam inauditis poenis a Deo inflictis Sodomae et aliis civitatibus hoc peccato inquinatis.

434. **Resolves.** — 1^o Sodomia perfecta specie differt ab imperfecta, quia per illam homo inordinate fertur in sexum et vax indebitum (11), dum e contraria per istam fertur tantum inordinate in vas indebitum.

2^o Coitus viri in vase indebito mulieris est sodomia imperfecta, specie tamen distincta a perfecta.

3^o Non tamen sodomia dicenda esset, si fieret tantum applicatio manus, aut pedis ad partes genitales alterius, quia nullus esset concubitus.

4^o Probabilius *per se* non est declarandum, quis fuerit agens aut patiens, quia species peccati eadem est. — Billuart, *cum aliis*. — Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est. — S. Lig. n. 468.

(11) Communissime Theologi (Vide S. Alph. lib. 3. n. 466.), atque etiam Canonistae (Vid. Reiffenst. lib. 5. tit. 16. n. 88., Schmalzgrueb. eod. tit. n. 112. et Pirhing. eod. tit. n. 69.) perfectam huius criminis rationem constituunt in sola inordinatione sexus indebiti, contra ac affirmare videantur quidam interpretes iuris civilis (Vid. S. Alph. l. c.), dum eam in inordinatione praesertim indebiti vasis reponunt; qui tamen in hac re rationem potius habuisse videntur poenarum, quas in eodem civili foro huic quoque posteriori inordinationi infligendas censuerunt. Videri idecirco poterit Auctor ab utraque sententia discessisse; dum utramque inordinationem ad id postulat. Verum haud ita

se res habet; nam reipsa inordinationem posteriorem addidit, non quasi in ea huius criminis essentia resideat, sed quia ad rationem *actus seu concubitus consummati* pertinet; ex quo etiam factum est, ut inter sequioris sexus personas (prouti aliqui apud S. Alph. l. c. notarunt) *impropria* tantum sodomia detur, quod consummatio illa in his locum nullum habeat.

Haec porro notanda erant propter casum reservationem. Quando enim absolute et simpliciter sodomia reservatur, iuxta generalia principia intelligi debet crimen perfectum atque in genere suo consummatum. Necessse ergo est designasse, quisnam actus ad perfectam consummatamque sodomiam requiratur.

§. III. De bestialitate.

435. — Infandum et execrandum bestialitatis crimen est concubitus cum bestia. Gravissimum est inter luxuriae peccata, quia naturae rationali maxime repugnat. Morte puniebatur in lege Mosaica: *Qui cum iumento aut pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Exod. 22. 19.* Peccatum istud est etiam horribilius ipsa sodomia, et specialis eius deformitas in accessu ad speciem diversam consistit. — S. Lig. n. 474.

436. — Tactus impudici cum bestiis, quamvis non sint peccata bestialitatis proprie dicta, sunt tamen declarandi, quando aliqua venerea delectatio ex eis quaeritur. Non autem videtur circumstantia necessario declaranda, si quis mediante lingua iumenti, aut alterius bestiae, voluptatem veneream aut pollutionem in se excitet. Nec est necesse explicare in confessione, cuius speciei fuerit bestia, neque utrum fuerit mas aut femella. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 474.

Hic autem adverte, valde cautum, prudentem et parcum debere esse Confessarium in interrogandis poenitentibus de luxuriae peccatis, imprimis de iis quae magis horrenda et inconsueta videntur. Vide regulas infra tradendas in *Tract. de Poenitentia*, ubi de Confessarii muneribus.

DE VII. ET X. DECALOGI PRAECEPTO

Non furtum facies. — *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt. Exod. 20. 15. 17.*

Septimum Decalogi praeceptum prohibet omnem iniustitiam externam in bonis fortunae proximi. — Decimum vero etiam peccata *interna* concupiscentiae, id est desiderii honorum proximi et actionis iniustae vetat. De variis iniustitiae peccatis circa bona fortunae dicemus in *Tractatu particulari de Iustitia et Iure*.

DE VIII. DECALOGI PRAECEPTO

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Exod. 20. 16.
Non falsum testimonium dices. Matth. 18. 19.

437. — Hoc praeceptum quatenus est negativum, prohibet 1^o *praecipue* et *primario*, ne dicatur falsum testimonium tum in iudicio tum extra iudicium; 2^o *indirecte* et *secundario*, ne laedatur fama et honor proximi.

Quatenus autem affirmativum est, iubet, ut qualibet sublata simulatione et fallacia, simplex, et nuda veritas dicatur (1).

Hinc prohibet 1^o periurium in proximum; 2^o mendacium; 3^o detractionem; 4^o contumeliam; 5^o iudicium temerarium et suspicionem iniuriosam. De singulis dicendum, excepto periurio, de quo satis in secundo praecepto.

CAPUT I.

DE MENDACIO

ARTICULUS I. — DE MENDACIO IN GENERE

438. — Mendacium est locutio vel significatio contra mentem cum voluntate fallendi. Si fiat nutibus vel aliquo facto, *simulatio* vocatur. *Scar.* — Triplex distinguitur mendacii genus: 1^o *damnosum*, quo mediante iniustum damnum alicui infertur; 2^o *officiosum*, quod utilitatis suae vel alienae gratia profertur; 3^o *iocosum*, quod fit ex ioco et sola nugandi causa.

439. **Principia.** — I. Mendacium proprie dictum est semper intrinsece malum. Ratio est, 1^o quia rectae rationi repugnat vocibus uti contra earum naturalem finem et institutionem; 2^o quia si alios in loquendo decipere liceret, ordo societatis, qui mutuo hominum commercio nititur, omnino subverteretur. Hinc, *Coloss.* 2. 9.: *Nolite mentiri invicem.* — S. Thom. 2. 2. qu. 110. art. 3. — S. Aug. *lib. De Mendacio et Contra Mendacium.*

II. Mendacium *damnosum* grave est pro ratione damni, quod proximo infertur; idecirco obligatio damnum reparandi ex eo sequitur. — *Ita omnes.* — S. Thom. *ibid.* art. 4.

III. Mendacium *officiosum* peccatum veniale est *per se*, quia in eo gravis deordinatio non apprehenditur. — *Ita omnes.* — *A fortiori* mendacium *iocosum per se* veniale peccatum non excedit. Imo interdum id, quod mendacium *iocosum* dicitur, omni prorsus culpa vaecat; quia non est mendacium *proprie* dictum, sed iocus recreationis causa adhibitus absque ulla intentione alium decipiendi, et proinde non ipsi convenit nostra definitio. Hoc autem tantum admitti potest, quando talia sunt rerum adiuncta

(1) Ita Catechismus romanus (*De VIII. Praec. n. 2.*): *In hoc praecepto... animadvertantur duae leges, altera prohibens, ne falsum dicatur testimonium; iubens altera, ut simulatione fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur.* Ideo

autem ad *affirmativum* praeceptum haec pars pertrahitur, ut innuatur id, quod omnibus affirmativis praeceptis est commune, nempe ea semper, sed non *pro semper* obligare, cum contra saepius veritatem occultare necesse sit.

ut audientes facile intelligere possint, loquentem tantum iocari velle. — *Ita communiter.*

440. **Resolves.** — 1^o Non mentiuntur, qui asserunt falsum quod credunt verum, sed errant tantum. E contrario mentiuntur, qui verum dicunt, quod falsum reputant, quia contra mentem loquuntur.

2^o Non sunt mendacia locutiones tropicae, ironicae, hyperbolicae, quae ut tales facile ab audientibus accipi possunt, et solent. Multo minus parabola, quibus tam frequenter ipse Christus utebatur. — Nec sunt mendacia aequivocationes, si non impediunt, quominus sensus loquentis cognosci queat.

3^o Non mentiuntur, qui fabulas conscribunt, vel ex ioco dicunt aperte falsa, ut manifestum est.

4^o Ad mendacium referuntur simulatio, hypocrisis, adulatio et inanis iactantia, quae peccatum veniale *per se* non excedunt; mortale tamen evadere possunt, seu potius mortale accedere iis potest ob aliam peccati speciem, quae superveniat.

ARTICULUS II. — DE RESTRICTIONE MENTALI

441. — Restrictio *mentalis* est actus mentis verba alicuius propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquenti vel restringenti.

Restrictio mentalis est 1^o *pure* seu *stricte mentalis*, si sensus loquentis percipi nullo modo possit, et haec *proprie mentalis* dicitur; 2^o *late* seu *improprie mentalis*, si sensus propositionis ex adiunctis possit colligi.

Ad restrictionem mentalem revocantur aequivocationes seu amphibologiae, quae sunt locutiones habentes duplicem sensum, sed unum magis obvium et alterum litteralem.

442. **Principia.** — I. Nunquam licet uti restrictione *pure* seu *proprie mentali*; nec amphibologia humano modo non perceptibili; *a fortiori* non licet cum iisdem iurare, quia est simpliciter mendacium. Constat etiam ex propositionibus 26^a, 27^a et 28^a ab Innocentio XI damnatis. — S. Lig. *de II Praec. n. 152.*

443. — II. Licet aliquando *ex iusta causa* uti restrictione *late* id est *improprie mentali*, et verbis aequivocis, quando sensus a loquente intentus *intelligi* possit. Ratio est, quia hoc non est malum *in se*, cum proximus non *proprie* decipiatur, sed *ex iusta causa* tantum permittatur eius deceptio; aliunde ad bonum societatis requiritur, ut medium adsit licite celandi secretum; aliquando autem aliud medium non suppetit praeter aequivocationem, aut restrictionem *late* seu *improprie* mentalem. — Dixi, *ex iusta causa*; quia si usus talium restrictionum absque *proportionata*

causa permitteretur, nemo posset aut vellet alteri credere; hoc autem in maximum humanae societatis damnum cederet. — *Ita communissime theologi.* — S. Lig. *de II Praecepto*, n. 151-152. — Lacroix, lib. 3. n. 287. — Suarez, Lugo, Laymann, Sporer, Elbel *et alii innumeri*, teste S. Lig. *ibid.*

Licet vero uti eiusmodi lata restrictione etiam cum iuramento; quamquam maior causa tunc requiratur, cum divinum testimonium non sit sine iudicio usurpandum. — S. Lig. n. 151.

444. **Resolves.** — 1^o Culpa non caret, qui utitur restrictione etiam non pure mentali, aut aequivocatione aliquo modo perceptibili, 1^o si id faciat absque ratione, sed ex sola intentione decipiendi, quia est abusus signorum; 2^o si interrogans habeat ius inquirendi aut imperandi veritatis confessionem, quia iuri illi respondet *regulariter* in subdito obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate. — S. Lig. n. 154. Adde 3^o si exinde damnum proximi emergeret contra praeceptum charitatis; 4^o quando contractus mutui celebrantur; quo in casu iustitia postulat, ut verba nude ad mentem contrahentis proferantur. — Scav. *de Actib. relig. extern.* c. 2. art. 2.

2^o Confessarius interrogatus a tyranno, an Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: *Nescio*; quia Confessarius id nescit scientia communicabili. Imo etiamsi instaret tyrannus et diceret: *An hoc nescis scientia communicabili?* respondere adhuc posset: *Nescio*. Ratio est, quia tyrannus bene cognoscit, se ius non habere de hoc interrogandi, nec Confessarius ut homo intelligit se scire, sed uti vicarius Dei ac proinde scientia incommunicabili.

3^o Reus a iudice non *inridice* aut non *legitime* interrogatus potest respondere se crimen non patrasse, subintelligendo, de quo possit inquire, seu quod fateri teneatur. — S. Lig. l. 3. n. 154.

4^o Possunt uti huiusmodi restrictione omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, et quisquis officium et rationem habet veritatem aliquam occultandi. Si enim secreta his personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate.

5^o Potest famulus iussu domini negare, ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri aut visitari possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem. — S. Lig. n. 165. — V. *Casus*, n. 114. et seq.

CAPUT II.

DE DETRACTIONE

1^o De vitio detractionis; 2^o de restitutione famae.

ARTICULUS I. — DE VITIO DETRACTIONIS.

445. — Detractio est occulta et iniusta violatio famae alienae, seu denigratio iniusta famae proximi absentis. Fama autem est bona aestimatio, quam alii habent de vita et moribus alicuius (1).

Detractio dicitur *simpliciter talis*, si fama proximi violetur revelatione criminis veri; *calumniata* autem denominatur, si famae violatio ex appositione criminis falsi sequatur.

Detractio variis modis fieri potest: 1^o *directe*, si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur; 2^o *indirecte*, negando nempe bona opera proximi, vel illa minuendo, vel etiam quandoque tacendo aliis laudantibus, vel frigide laudando.

446. **Principia.** — I. Omnis detractio *directa*, sive sit *calumniata*, sive detractio *simpliciter*, est mortalis ex genere suo, quia est contra iustitiam; et quidem gravius est peccatum, quam furtum, quia maiori bono proximum iniuste privat, ut constat ex sensu communi et ex Scriptura sacra, *Prov. 22. 1.*, ubi dicitur: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae*; et ibidem, 24, 9.: *Abominatio hominum detractor.*

II. Gravitas vel levitas detractionis desumenda est precipue ex gravitate vel levitate damni, quod proximus ex ea pati potest, et non tantum ex gravitate defectus seu criminis, quod de proximo narratur. Hinc ad cognoscendam in casu particulari detractionis gravitatem attendendum est ad qualitatem 1^o personae *detrahentis*, scilicet an sit gravis et discreta, an garrula et levis; 2^o personae *laesae*, an sit bonae vel malae famae, etc... Ratio est, quia maior fides praestabitur pro maiori vel minori loquentis auctoritate; item maius vel minus sequetur famae detrimentum pro ratione maioris vel minoris aestimationis, qua persona laesa gaudet. — S. Lig. n. 967.

447. — III. Nunquam licet falsum crimen alteri apponere, ut constat ex propositione 44^a ab Innoc. XI damnata. Licet tamen iusta de causa

(1) Nimis forte A. detractionis materiam coaretat. Quippe excellentia, cuius laedi potest aestimatio, non solum est virtus et honestas, sed etiam sapientia, doctrina, ingenium, eloquentia, indoles egregia etc.,

imo sunt et bona corporis, vel fortunae, ut vires, pulchritudo (qua commendantur feminae), valetudo, nobilitas, opes, natales legitimi etc. Haec et eiusmodi A. tangit infr. 456. Res. 9.